

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

57 Reden der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420,3

Molter, Johann

[Karlsruhe], 1783-1800

[Doll, Christoph Heinrich]: De [...] lectionis utiliter instituenda cura
rationeque disseruit, 19 Juli 1794

[urn:nbn:de:bsz:31-99849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-99849)

De librorum lectionis utiliter instituenda

cura rationeque

cyberuit

Christophorus Heinricus Goll.

d. 18. Julii

1794.

La librorum hanc dicitur in scriptura

cum ad eam

scriptura

Christophorus Henricus de

1774

1774

Oeconomia.

^e
Exordium

Multa lectionis commoda, propter qua ob-
tenda necessaria redditur, generatim recen-
sentur.

Thema. De librorum lectionis utiliter instituenda

^{cura rationeque.}
Est vero ea ratio & cura duplex, potissimum.
Ut cum fructu lecturus commodam
sibi proponat ad legendum materiam.
Ut rectum teneat in legendo modum.

Pars I. Circa materiam huic curee subijcitur.

- 1, Veritas. Quae quum maxime debeat
ad legendum impellere, ubi deest,
inidonea lectio & nociva erit.
- 2, Perspicuitas. Neque enim sine ea vel op-
time veritates ad intellectum & usum
transferri possunt.

3, *Compositio*. ~~Neque enim sine ea vel~~
~~optima veritates~~ Ut nimirum
 quodque scriptum magis est com-
 positum, ita quoque expeditior
 lectio & aperior.

4, *Utilitas*. Cujus bona ratio in huma-
 nae mentis vitæque hominum
 bonis augendis profita est.

5, *Suavitas*. Habet quoque lectio su-
 as delicias, quibus modice uti
 utique licet.

Pars II. Circa modum utiliter legendi cusan-
 dum est.

1, Ne præconceptis opinionibus a
 recto iudicio dimoveatur.

2, Ne sensuum oblectamenta illinc
 magis querat, quam mentis
 informationem.

- 3, Ne dictionis illecebris & verborum lenocin-
nis, cum neglectu rerum sententiarum.
que indulgeat.
- 4, Ne fugaci & subito transcurrente lectione
meditandi spatium sibi praescripiat.
- 5, Ne legisse satis esse ducat, nullo doctri-
nae augmento.
- 6, Ne in uno tantum genere scriptorum to-
tus defigatur.
-

Director gravissime. Socii
honoratissimi!

Dignum profecto homine humanaeque naturae convenientis-
simum studium est, quo ad nostram perfectionem viamque
& facultatum, quibus mens nostra a conditore rerum be-
nignissimo ornata est, amplificationem exercitationemque
eruditur. In eoque humana natura pro ceteris animali-
bus excellentiam maxime contineri: vel ex hoc intelligi pot-
est, quod reliqua animalia rationis sunt expertia, neque ma-
jorem unquam perfectionis gradum adsequuntur; sed co-
dem semper modo opera sua perficiunt, nunquam meliora re-
dunt aut praestantiora: homo contra & sibi & a se perfectis
operibus novam semper superaddere valet perfectionem.
Quid itaque aliud esset, si homo facultate hac sua non
uteretur, si perfectionem suam curae non haberet, quid

aliud, inquam, quam bestiarum velle esse similem. Sed ad
 excolendas & profereudas animi facultates librorum lectio
 maxime pertinet. Quae quidem varia humanae cognitionis
 genera, e quibus plurimae in nos redundant utilitates, quibus
 quae optimi sensus nostri vel excitantur vel intenduntur,
 fulcit & firmat; quae multorum sententias comparare,
 ex hac comparatione demum veritatem exquirere sinit,
 quae cogitandi materiam nobis affert amplissimam. Sine
 ejusmodi animi agitatione vix homines dici merebimur.
 Veterum imprimis scripta omnium scientiarum fontes re-
 cludunt, & quae fere nostra cognitionis pars est longe nobi-
 lissima, homines illinc noscere docent. Ex hac lectione
 plurimae alicae utilitates sequuntur, quae quidem
 enumerare facile non erit.

Ego vero vestrae pacis, Director gravissimae Socii-
 que honoratissimi,
 De librorum lectionis utilitate instituenda
 cura rationeque pauca disseram. Est vero ea

ratio et cura duplex potissimum:

Ut cum fructu lecturus comodam sibi proponat ad legendum materiam. Deinde, ut rectum in legendo teneat modum.

Sed quis circa **materiam**, quam quisque ad legendum sibi proponet, non intelligit, in libro bene scripto nihil potius requiri, quam **veritatem**? Ea quippe cum hominum felicitate tam arcto vinculo cohaeret, ut sine ea plerisque fructibus & voluptatibus careamus. Insigne certe emolumentum, summaque suavitas & oblectatio litteras homini adferre, cequis est omnino, qui non confiteatur? Veritas autem quasi fundamentum est, quo litterae nituntur. Sed ut litterarum praestantiam sentiamus, librorum lectione necesse est. Veritatis studium itaque maxime ad legendum nos impellere debet, quae ubi deest, invidiosa lectio & nociva erit.

Neque vero solum veritatis, sed etiam

perspicuitas libro ^{est} necessaria. Nam sine ea vel
 optima veritates ad intellectum & usum transferri
 non possunt. Quid autem doctrina ulla utilitatis nobis
 afferat sine perspicuitate? Quid comodi ex optimis medita-
 tionibus, nisi intellecta fuerint, redundet? Quando
 magis liber perspicue conscriptus est, tanto pretiosior
 estimabitur, tantoque magis etiam lectorem movebit
 ad legendum & retinebit. Maximum enim idemque
 optatum auctoris premium est ut placeat & proficiat;
 qui vero, nisi intelligantur, quae scripserit, placere vel pro-
 ficere potest? Neque vero tamen semper auctoris, sed interdum
 quoque lectoris culpa est, quo minus intelligantur scripta.
 Minus nimirum exercitabo lectori, neque subsidio necessa-
 riis instructo, aut inopia dictionis, aut ingenii obtusi-
 vitio laboranti, multa possunt videri obscura, quae in
 intelligendioribus dilucida sunt & aperta. Sunt haec
 legentium vitia, non auctoris.

Proxima perspicuitati est compositio.

eaque inter eminentiores libri virtutes referenda.
 Cujus fere sunt: iusta singularum partium ordina-
 tio, & in unam veluti summam reductio, in proponen-
 do & declarando præcisio, apta parumque observa-
 bilis ab uno dicendorum genere ad aliud transitio,
 idonea denique rerum omnium dimensio & coag-
 mentatio. Veritatis autem studiosus in lectio-
 ne incompositi libri nimis facile fatigatur, &
 ne ipse sibi tempus, majore cum fructu ^{alibi} collocandum,
 eripiat, librum cito seponit. Compositionis propri-
 um est intelligentiam reddere faciliorem. Alius
 quidem ope notiones ^{sic} inter se copulantur, ut alia
 ex aliis deducantur, & antecedentia consequentibus
 probandis inserviant, & in summa omnia sibi plane
 respondeant. Ut nimirum quodque scriptum magis
 est compositum, ita quoque expeditior ^{legit} et apertior
 erit.

Sed bene elaborati libri pars maxima merito
 utilitas aestimabitur. Hominibus enim inebum
 est, ut e quocunque opere utilitatem aliquam &
 comodum aliquod expectant; neque sine illius obbi-
 nendi spe quidquam aut facere aut suscipere velint.
 Utile vero in universum merito appellabitur, quid
 quid hominum & disciplinae & felicitati prodest
 mentis facultates excolit, animum emendat.
 veritatis lumen virtutisque studium diffun-
 dit propagatque, mores, affectionesque emollit
 & perpolit, vitæ oportunitatem & usuram ad-
 auget & multiplicat, humanae societatis
 vincula arctius constringit, humana jura explanat
 atque confirmat, indigentia mortalium subvenit,
 multiplicis miseriae fontes occludit, & mala, vitam
 humanam undique transcurrentia, minuit allevat
 que. Quorum si nihil utique auctori sit propositum,

sin e contrario in diversa tendat, tantum abest, ut ejusmodi lectio probanda sit & comendanda, ut potius longe arceat & profligari mereatur.

Super est, ut librorum lectio etiam suavitatem efficiat. Animus enim, multa intentione fatigatus, lectionis suavitatem vices recolligit, firmat, & ad novum laborem reparat. Quod ita tamen fieri oportet, ne jucunditatem & delicias hujusmodi cum detrimendo, illius, qui princeps debet esse lectionis finis, assectemur. Linguam porro etiam, verborum lepores, id genus lectionis locupletat, pulcherrimas conversiones, facilemque idearum connexionem edocet, plurimamque alia comoda parat, de quibus autem longe disserere non necesse est. Vere pariterque diserte Plinius dixit: Ut in vita sic in studiis pulcherrimum humanissimumque est, severitatem comi-

200.
135.
tatemque miscere, ne illa in tristitiam, haec in pe-
sulantiam, procedat.

Venit oratio ad modum utilis ex legen-
di, circa quem primum illud curandum est;

Ne preconceptis opinionibus a recto
iudicio dimoveamus. Quantumvis clarus qui-
dam auctor, optimam ^{opinionem pro se, sequat, qualemcunque gradiam} sibi paraverit,
ut cunque celebritate nominis & fama apud omnes
floreat, tamen nihil eorum nobis obstare debet: quo-
minus omnibus a natura ad explorandum dabitur secul-
laribus utamur, animumque peritus, ac ipsius inda-
ginem intendamus. Comune enim est omnium homi-
num ut possint errare. Et saepe ceteroquin laudatif-
simus vir de veritate via labetur. Nec tantam ulli
auctoritatem tribuere fas est, quae nos adstringat,
ut omnia ejus dicta scriptaque perquam vera esse

& quasi divina aestimemus.

Dein cavendum etiam est, ne sensuum oblectamenta illinc magis queramus, quam mentis informationem. Sensuum enim inmoderata delectatio vel maxime animi efformationi obstat, quippe quae illustrandis & exercitandis mentis facultatibus continetur. His unico, & reliquis animantibus praestat homo. Sensuum autem coeco imperio subesse idem est, ac longissime a perfectissimi numinis similitudine amoveri. Firmum explorandumque est, quae sunt destinationi nostrae consentanea, eademum optima maximeque optabilis esse. Est vero praecipua haec natura nostra destinatio, id Dei quam simillimi evadamus.

Itaque scripta, quae sensibus unice irritandis
ac titillandis ferriunt, visus ubi autem & pro-
hibitis semina suffocant, eorumque loco vitia
& crimina fovendū sumo opere fugienda sunt.

Aliud quoque observandum vel maxime
est, ne dictionis illecebris & verborum
lenociniis, cum neglectu rerum senten-
tiarumque indulgeamus. Namque ver-
borum ^{magnificentiā, solennitatem & amplissimā verba} apte prolata, rem ipsam quidem eis-
que rei sensum attollere & exornare possunt.
Sed sine rerum pondere compositae apteque dicere,
verbaque absque sententiis jactare, inanis &
ridicula, ac prope insana eloquentia habenda
est. Nec raro tamen evenit, ut verborum co-
pia & uberitate fallantur audientium aures,
& nescio, qua falsa sensuum imagine in erro-
rem abripiantur animi. Unde mihi manet
hoc, ut nihil ceque, qui cum fructu legere

velit, ac veritatem bonitatemque rerum sequi debeat

Neque praetermittendum erit illud proceptum, ne fugaci & subito transcurrente lectione meditandi spatium sibi praeripiat. ^{lector} Fructum & institutionem, suaeque cognitionis amplificationem querendi lectori in hoc opere maxime infamenda erit, ut in majoris momenti rebus subsistat paululum inter legendum, circumspiciat animo, cogitationem ipse & curam adhibeat, quaeque se cum lectis diligenter comparet, & quae possint mentem instruere largius, penitus comprehendere & in animo firmare studeat. Vulgatum quidem sed verum dictum est: festina lente. Non ex celeritate sed fructu lectio

estimanda est. Nihil autem fructuose lecti-
oni magis obstat, quam hæc ipsa celeritas.

Quo-circa nihil magis suadendum est
lectoribus, quam, ne legisse satis esse ducat,
nullo doctrinæ augmento. Quum sit
autem fluxa infidaque hominis memoria, ac
sepe offendat, imprimis efficiendum est, ut con-
stans aliquis fructus electione supersit. Breve
enim homini ad vivendum temporis spatium
confessum est multoque brevius eo, quod civo-
rum numero estimamus. Quantum enim
ex illo occupari transigimus! Quantum
somno & corporis cura consumitur! Quantum
inter pueritiam & nihil agendo transigi-
tur! Quantum per senectutem viribus jam
deficientibus perditur! Quibus ex vitæ
spatio detrahitur, vix tertiam partem

vel quartam superiore intelligimus, qua
 negotiis & utilibus factis impenditur. Quae
 quum ita sint, ne optimorum quidem libro-
 rum lectioni multum temporis insumere
 nobis conceditur, eoque diligentius provi-
 dendum est, ut semel lecta manentem ali-
 quem fructum relinquant apud nos. Sunt
 igitur, quae minus vulgaria esse deprehon-
 dimus, novitate aliqua, vel ingenii quadam
 eminentiore nota, vel gravitate insignia,
 studiose enotanda, sicque memoria man-
 data, ut ad quemque vitae usum, & alti-
 orem indaginem ex promptu nobis occur-
 rant.

Adhuc observandum superest:
 Ne in uno tantum genere scripto.

rum totus lector defigatur. Præterquam
 quod nodosa nostræ circumscripta variationem ali-
 quam exposcit, quæ subtracta, nimis assidua & con-
 tinua earumdem rerum tractatione hebetat: ex
 uniusmodi lectione, cum aliis ⁱⁿcomoda resultant, tum
 illud præcipue, quod dijudicandi vis eo modo coar-
 ctatur nimium, & in unam quasi aliquam formam
 constringitur; vixque iis rebus, quæ ex aliis generis sunt,
 ab eoque, in quo omnis opera unice consumitur, lon-
 gius sejuncta, amplius par est. Quod iis accidere
 animadvertimus, qui scholæ cujusdam vel serba
 nimio studio, nihil ab opinionibus, quibus semel sunt
 imbuti, discrepans, ex æque æstimant; jamque præ-
 occupati, ne rationibus quidem contrariis ullum
 pretium statuant. Et profectum vero cognitionis
 verique indagacionem cum primis pertinet, ut di-
 versa sententiarum opiniones, & argumenta studiose

in vicem conferantur examinenturque: quo fac-
to constabit demum, quæ ^{id} verum sit aut veri si-
millimum.

